Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6898
Copyright: Wien, Dominikanerkonvent

rēmittendus est. sic carī⁹ resecanda cura ⁊
vt dei famulos cibi. aliarūq; deliciaꝝ ñ te
neat voluptas. nec seruiant gule. qui de⁄
seruire debēt aie. Periculose enī ac p
hoc sūmopere fugiende sunt voluptates
que effeminatū faciūt aīm. sicut idoneus
testis est sardanapalus. Maximū attenu
ant robur. strennuū ducem vilē faciunt. ⁊
in bello inuictum sua lenitate deuincūt ⁊
psternūt. sicut indomit⁹ Hanibal testat̄.
quē cum fomēta campanie ⁊ arma vince
re nequerant. hyberna vina dapesq; sol⁄
uerunt atq; eneruauerūt. Ob eā rē Mar⁄
cus Cicero ꝓsentaneū nō esse inquit. vt q̄
metu nō frangit̄. is frangat̄ cupiditate. et
q̄ui inuictū se a laborib⁹ prestiterit. ille a
voluptate vincat̄. Quanto ḡ famuli dei
min⁹ indigent. tāto eos ampli⁹ decet ad
pristinā felicē austeriorēq; vitā redire. nec
aie virtutes ipse auferant voluptates. q̄
bus neq; maior neq; suauior pōt inueni
ri tyrann⁹. Nēpe vniuersa nature ⁊ fortu
ne ⁊ gratie cū quadā falsa ⁊ pestifera iocū
ditate eripiūt bona. qm̄ vt recte Isidor⁹
eas interpretatur. Voluptates nil aliud
sit. nisi cū quadā lubrica suauitate ad illi
cita fede mētis inclinatōes. Hinc magn⁹
ille stoic⁹ Seneca inq̄t. q̄ hostis vnq; tā
tumeliosus fuit. q̄ in quosdā voluptā⁄
tes sue. Quidā se in voluptates mergūt
quib⁹ in ꝓsuetudinē adductis carere non
pōt. ⁊ ob hoc miserrimū est. quo eo puene
rint. vt illa q̄ supuacua fuerunt facta sint
necessaria. seruiūt itaq; voluptatibus nō
fruunt̄. ⁊ malasua. quod maloꝝ vltimuꝝ
est amant. pinde in preclaro et excelso vo
lumine de philosophica ꝓsolatione diu⁹
Boetius eas detestando ita interrogat.
Quid de corporis voluptatib⁹ loq̄r. qua
rū appetentia quidē plena est anxietatis.
satietas ꝓ pnie quarum motus quid ha
beat iocunditatis ignoro. tristes ꝓ esse
voluptatū exitus. quisquis reminiscit̄ li⁄
bidinū suarum intelliget. que si bonos ex
plere pōt. nihil cause est. quin pecudes q̄z
beate esse dicant̄. Sed certe vt Hierony
mus ait. nihil pdige satis est voluptati.
semp famem patit̄ sui. que alimētis perpe
tuis nescit ipleri. propterea a blandimen
tis voluptatū abstrahendus est anim⁹ne
si mergi incipiat. subleuari mō non possit
Sirenis vtiq; morē tenēt que tādiu nau
tas allicit ⁊ demulcet cantu. quousq; nau
fragium persperent incurrisse. Null⁹ igit̄
se illecebrosis seducat a morib⁹. Nullus
vinci a voluptatib⁹ se permittat. vnusq;⁄
q; constanter pugnet. virilit̄ dimicet. ho
stem audacter inuadat. qm̄ nullus spiri⁄
tualis certaminis apprehendit palmaꝝ q̄
nō legittime certauerit q̄ in semetipso pri
us per afflictā ventris concupiscentiam
ante carnis nō deuicerit incentiua. Nec
ad consuetum spiritalis certaminis ordi
nem assurgit̄. si non prius inter nosmet⁄
ipsos hostis positus gule videlicet appe⁄
titus edomet̄. qm̄ sicut ab arte ⁊ a natura
recte docemur. nisi ea que nobis vicinio
ra sunt prosternam⁹. p quam maniter ad
remotiora ipugnanda pertransimus. Et
vt vitia que in nobis ex ipsis generantur
voluptatibus. maiori cū impetu extinguē
da inuadam⁹ adiecit. illos sane extinent
ditiores q̄ in sustinenda parcitate fuerint
fortiores. Duplex diuitiarum gen⁹ es⁄
se nouimus. aliud quidem temporalium.
aliud spiritualium. Temporales diuitie
que sint latet neminem. quoniam predia
palatia. gēme. auri argenticq; pondera. et
magna pecuniarum copia. que in caduca
rum diuitiarū veniunt appellationē. In
his vtiq; etiam ditiores sunt. qui in susti
nēda parcitate fuerint fortiores. quoniaꝝ
vt antiqu⁹ sermo dicit. qui parci sunt di⁄
uites fiunt. Sed ad presens negociū hec
minime satisfacit interpretatio. Id circo q̄
sint spirituales diuitie. ⁊ quo pacto in il⁄
lis ditiores fiant. qui in sustinenda parci
tate fuerint fortiores videam⁹. Spiritua
les diuitias. fidem. spem. caritatem. iusti
ciam. humilitatem. temperantiā. pruden
tiam. constantiam. ⁊ reliquas appellam⁹
virtutes. hincad verā philosophiā Mar
cus Tulli⁹ mentem erigens in parado⁄
xis q̄z digne q̄z excellenter dixit. quan
ti precij estimanda est virtus. que nec eri⁄
pi nec surripi potest. neq; naufragio ne⁄
q; incendio amittitur. qua prediti q̄ sunt
soli sunt diuites. At enim nemo diues ni
si abundans diuitijs. Virtus autē ex ne
ce pullulat vitioꝝ. quoniam teste philo⁄
sophorum maximo Arestotile. Unūq;⁄
q; ex suo efficitur contrario. Occiduntur
autem vitia maxime ex carnis mortifica⁄
tione. et ex ipsa parcitatis fortitudine.